

## §. III.

## De mutatione Juris Gentium.

145 **M**utatio Juris Gentium in tantum ad effectum ejus reducitur, ut pateat, quantum tempore perseveret. Nulla autem ambiguitas est de mutatione Juris Gentium improprie dicti: cum id, veluti jus, sine obligatione receptura, liberrime abrogari valeat. De Jure Gentium itaque proprie dicto locuturus,

146 **Dico I.** Jus Gentium formaliter est mutabile. Suarez de LL. lib. 2. cap. 20. num. 6. Gibalino d. l. 4. cap. 7. q. 3. n. 3. Clariff. D. Franz ad tit. de J. N. G. & C. p. 2. num. 19. Probatur. Jus Gentium est portio Juris arbitrarii & positivi ex num. 7. Ergo, sicut liberè ponitur, sic liberè reponi, & resigi potest arg. cap. omnis 1. de R. I. & l. nihil 3. ff. eod.

147 **Si dicas:** Jus Divinum formaliter mutari non posse à Potestate humana; & consequenter nec Jus Gentium: cum & hoc Divinam auctoritate firmatum sit.

148 **Resp.** discrimen esse quam latissimum inter Jus Divinum & Gentium. Illud immediatam obligandi vim à solo DEO nanciscitur, irrequisito homine: quare ab alia, quam Divinam Majestatem, vi obligativam privari non potest. Hoc immediatam obligandi virtutem à voluntate Gentium sortitur, uti consuetudo à voluntate populi. Ergo, sicut DEUS obligationem suam consensu non confirmat, nisi præsupposita Gentium voluntate: ita diutius confirmationem suam porrigere non intendit, quam Gentis velit.

149 **Dico II.** Jus Gentium formaliter mutari non potest, nisi vel omnium Gentium, vel majoris partis assensu. Suarez d. cap. 20. n. 8. Gonzalez in apparatu J. C. n. 19. Probatur. Nequit consuetudo, à majori vel unanimi populi consensu stabilita, à privatis personis eliminari. Ergo nequit Jus Gentium, una-

nimi Gentium, vel majoris partis consensu firmatum, ab una vel altera Gente infringi: quia, sicut se privati habent ad communiam; sic Gentes particulares se habent ad totam Gentium universitatem. Confirmatur. Utilitas communis præferri debet singulari. Ergo, licet una Gens particularis singulari commodum ex abrogatione Juris Gentium speret: quia tamen Jus Gentium communem utilitatem pro scopo suo agnoscat, potius communi utilitati quam private invigilandum est.

Existimat quidem Insignis Suarez, posse aliter quando Jus Gentium ab una Gente mutari, si v. g. communis aliqua præcipiat, ut inter partes & membra sua Jus Gentium non observetur: sicuti Jus Gentium de servitute captivorum in bello justo inter Christianos populos ex antiqua consuetudine non amplius observatur.

Verum non video, quemodò dicatur mutari Jus Gentium, quando aliqua communitas seu Gens particularis in propria sua provincia libertate Juris Gentium non utitur, v. g. commercia privatis interdicendo. Nam Jus Gentium obligat immediatè solas Gentes quæ tales, sicut in bonum Gentium quæ talium immediatè sancitum est. Ergo, ut censetur, esse mutuum, respectu alterius Gentis obligatione desitui debet; quod sine consensu Gentium fieri posse, non reperio. Exemplum de servitute, inter Christianos sublatam, non promovet intentum. Cum enim Christianæ Gentes (si calculum inter maleficiores subducere velimus) majorem numerum conficiant; atque illarum mutuo consensu servitus cessarit: profectò non unius Gentis, sed majoris partis consensu Jus Gentium hac in parte mutatum esse, censeri debet.

## CAPUT V.

## De Jure Sacro, seu Canonico.

**J**uris Gentium Canonicum seu Sacrum subnecto: non quia Jus Gentium sublimius & excellentius; sed quia universalius, & propter hoc Divino & Naturali vicinior est, Canonicò. Præfero autem Canonicum Civili, tum propter nobilitatem finis, ad quem ordinatur; tum propter præeminentiam Legislatoris, à quo conditur; tum propter amplitudinem subiecti, ad quod extenditur. Ita tamen Jus unum alteri præfero, ut multis in rebus amicam harmoniam concordem utrumque. Veritatem præsentis & septimi Capituli contextus edocebit.

## SECTIO I.

## De Definitione, Promulgatione, &amp; Origine Juris Canonici.

## SUMMARIUM.

1. Juris Canonici etymon & natura, si accipiat pro habitu. 2. Illius definitio, quatenus sumitur pro Lege. 3. Est ordinatio rationis. 4. A Potestate humana Ecclesiastica. 5. Vel Summa, præma,

prema, vel subordinata. 6. & seq. Ad finem spiritualem. 8. Per actiones religiosas consequendum. 9. Fidelibus. 10. Promulgata. 11. & seq. Nominantur Auctores, affirmantes & negantes necessitatem promulgationis in singulis provinciis. 14. & seq. Negantium argumenta. 18. & seq. Affirmantium fundamenta, desumpta ex natura Legis. 24. Ex paritate

cum Lege Civili. 25. & seq. Ex Jure Canonico. 33. & seq. Ex illius promulgationibus. 35. & seq. Ex Auctorum negantium limitationibus. 40. & seq. Refellitur P. Cardenas. 51. Origo Juris Canonici est DEUS. 52. & seq. Apostoli. 57. & seq. Quorum Constitutiones sub nomine Canonum Apostolorum sunt collectæ. 61. SS. Pontifices & Concilia.

## §. I.

## De Definitione Juris Canonici.

**J**uris Canonici tum etymologiam, tum synonymiam, tum etiam definitionem (si capiatur pro habitu seu scientia Legum Ecclesiasticarum) reperies in tract. præamb. cap. 1. num. 32. & seq. Aliam nonnihil definitionem, si capiatur pro ipsa Lege Ecclesiastica, nunc adorno, quod nempe Jus Canonicum sit ordinatio rationis, à Potestate humana Ecclesiastica, ad finem spiritualem & supernaturalem, per actiones religiosas consequendum, fidelibus promulgata.

**Dixi I. ordinatio rationis.** Est enim Jus Canonicum univoca Juris Legis species; ideòque genericam illius naturam in eo participat, quòd rationi quam maxime sit consentanea; hocque tantò certius, quanto certiori & firmiori nititur fundamentò, Summò Pontifice, tanquam indefectibili morum & fidei nostræ regulâ.

**Dixi II. à Potestate humana Ecclesiastica.** Per quæ vocabula differt Jus Canonicum à Divino: quia, tametsi in cit. tr. & cap. n. 37. notatum fuerit, Jus Canonicum quandoque Divinum appellari; nihilominus, cum remotè tantum à DEO, proximè verò descendat à Legislatore humano Ecclesiastico, discrimen sufficiens inter Jus Canonicum & Divinum deprehenditur. Hoc solum de Potestate humana Ecclesiastica velim adnotari, quòd, si Lex Ecclesiastica feratur à Potestate Suprema, hoc est, Summo Pontifice, dicatur universalis; sin feratur à Potestate

inferiori & subordinata, particularis appellatur.

**Dixi III. ad finem spiritualem & supernaturalem.** Hunc enim finem à Jure Canonico proximè respici; hocque discerniculum esse, quòd differt à Jure Civili, jam aliquoties indigitatum est, præsertim in d. tract. præamb. cap. 1. n. 42. & in hoc tract. cap. 1. n. 123. Etque hæc doctrina Panormitano, Zoëffio, Gibalino Scient. Canon. lib. 5. cap. 1. q. 3. & cæteris Canonistis, ad Proœmium Decretalium scriptibus, maximo perè probata, contra Fortuaniu Garciam, qui, narrante Gibalino d. q. n. 1. in suo Opusculo de fine Jur. Can. & Civil. irritò labore contendit, unum ab utroque Jure finem intendi.

**Dixi IV. per actiones religiosas consequendum.** Per actiones religiosas intelligo tales, quæ aliquatenus & inchoativè sunt spirituales, juxta superiorem explicationem in d. tract. præamb. cap. 2. n. 101. & 3. seqq.

**Dixi V. fidelibus.** Ubi novam differentiam rationem, quâ Jus Canonicum à Divino discernatur, assigno: quandoquidem Jus Divinum universalitate suâ non minus infideles quam fideles obstringit; Canonicum e contra solos obligat fideles; ut infra in sect. 3. ostendetur.

**Dixi VI. promulgata.** Promulgationis necessitas ad Legem quamcumque jam in cap. 1. n. 51. demonstrata fuit. Sed qualis in specie debeat esse promulgatio Legis Ecclesiasticæ? Statim demonstrare parati sumus.

## §. II.

## De Promulgatione Juris Canonici.

**H**æc diuturna jam inter DD. est contentio, utrum ad hoc, ut Jus seu Lex Ecclesiastica universalis totam afficiat Ecclesiam, sufficiat promulgatio, Romæ facta; num verò requiratur promulgatio, in singulis provinciis per locorum Prælatos facienda? Priorem sententiam amplectuntur potiores Theologi, nominatim Suarez de LL. lib. 3. cap. 16. Palao Oper. Moral. tract. 3. disput. 1. præamb. 11. Reding de LL. q. 16. art. 2. contr. 3. num. 14. Sant-Gallenses de LL. sect. 1. q. 4. conclus. 5. Mezger de LL. disput. 34. art. 1. n. 10. Favette eidem Rota decis. 365. n. 13. & 14. apud Cardinalem de Luca de Benefic. p. 1. decis. 76. n. 7. Posteriorem ex Theo-

logis fovet Molina de J. & J. tr. 2. disp. 395. à n. 6. Lessius de J. & J. lib. 2. cap. 22. n. 98. Medina, Sotus, Marchantius, Sannig, quos citat P. Reiffenstuel ad tit. de Constitut. n. 125. & reipsa sequitur in num. 134. ac novissimè Clariff. P. Cælestinus Pley Angelica Theologia theoremat. disp. 2. q. 3. Clar. P. August. Magg in tract. de LL. quæst. prælim. art. 1. pag. m. 11. n. 6. Recipiunt plures à Canonistis Panormitan. ad 13 cap. cognoscetes 2. de Constitut. num. 7. circa finem. Felinus ibid. num. 7. Zypæus in Analyti Juris Pontif. ad tit. de Constitut. n. 1. Gibalini Scient. Can. lib. 7. cap. 2. q. 1. n. 7. dicens: sententiam hanc Juri & rationi conformiorem, ac praxi Veteris Ecclesiæ maxime consentaneam esse; Clariff.

Clarissimi DD. Facultatis nostræ Antecessores Engel ad *tit. de Constit. n. 65. König ibid. n. 20. Eberth in Bello certam. 2. n. 3. & seqq. Gletle Jurisprud. fund. lib. 1. tit. 1. cap. 4. §. 7. num. 4.* Something, auctus à Clariss. D. Josepho Adamo Aybinger ad *tit. 2. Inst. de F. N. G. & C. n. 73.*

14 Primi sequentia fundamenta in aciem educunt. Primum est. Promulgatio, in singulis provinciis faciendâ, neque ex natura rei, neque ex constitutione Juris requiritur. Ergo nullò modò: Anteced. quoad priorem partem deducitur ex eo, quòd promulgatio, Romæ facta, sufficiat, ut Lex in notitiâ orbis Christiani successivè possit devenire: est enim Romæ urbs Urbium, ad quam ex omnibus mundi partibus homines confertim solent confluerè; in qua etiam non solum Regum & Principum Christianorum legati, sed etiam Præfulum Ecclesiasticorum agentes & procuratores resident, ad Leges novas perinde audiendas, ac suis Principibus transcribendas obligati.

15 Quoad posteriorem partem declaratur sic: quia pro necessitate promulgationis, in provinciis faciendâ, solummodò affertur paritas ex LL. Civilibus petita, quæ ex dicendis in cap. 7. non obligat, nisi fuerint publicatæ in singulis provinciis. Hæc verò eò debilior est, quòd minus S. Pontifex LL. Civilibus in modo regendi & imperandi se se accommodare tenetur.

16 Secundum est. Libri Juris Canonici, & constitutiones, in illis contentæ, habent vim Legalem & obligativam, esto de illarum publicatione, in provinciis factâ, non constet. Ergo & aliæ constitutiones Pontificiæ: neque enim de una quàm altera major occurrit ratio.

17 Tertium est. Ex stylo Romæ Curie recentè editæ Bullæ non alibi quàm Romæ promulgantur. Regulæ Cancellariæ in partibus nunquàm publicatæ sunt. Omnes etiam causæ juxta constitutiones, Romæ promulgatæ, decidi solent. Ergo signum est, S. Pontificis mentem & voluntatem esse, ut novæ constitutiones statim obtineant vim obligativam, posteaquàm in Campo Floræ ad Valvas Vaticanæ publicè fuerint pensatæ.

18 Secundi pro sua defensione opponunt I. Promulgatio in partibus faciendâ tum ex natura rei (si non de necessitate, saltem de congruentia & convenientia) tum ex dispositione Juris requiritur ad Legem Ecclesiasticam.

19 Nam ex natura rei Lex est justò & allocutio publica, non ad particulares & singulos homines, sed totam communitatem immediatè directâ; debetque propterea sic esse comparata, ut immediatè possit à tota communitate percipi. Atqui Lex, Romæ promulgata, non est immediatè ad totam communitatem Christianam directâ (nec enim populus Romanus totam representat Ecclesiam; nec etiam legati vel agentes, ibidem commorantes, omnia Christiani orbis regna & provincias in suis personis exhibent) & ideo

non potest immediatè à tota communitate Christiana percipi. Ergo &c. Interim, 20 si memorati legati vel agentes & procuratores Legem, noviter promulgatam Romæ, Episcopis & Archi-Episcopis pro sua obligatione transcribant, scient isti in suis provinciis & diocæbus hujusmodi Legem publicare; sin minus, provinciales aut diocæfani contra Legem non peccabant, juxta doctrinam Cajetani, à Gibalino *loc. cit. n. 16.* citati, scribentis: *si nova Romæ promulgatur Lex, & nec Curia ipsa procurat, ut promulgatio ad Ecclesias Cathedralis deveniat, nec Prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesiis, accusari nec apud DEUM, nec apud homines ignorantia possunt negligere.*

Neque dicas I. ex hoc sequi, quòd Lex nova singulis hominibus contra *cap. ad hæc 1. de Postulat. Prælat.* intimari, vel saltem singulis parochiis, quatenus distinctam faciunt communitatem ab ea, quæ est in Ecclesia Metropolitana vel Cathedrali, perficiunt, manifestari debeat. 21 enim, Legem, cum non ponatur singulis quæ talibus, sed collectivè sumptis, seu communitati, non singulis, sed communitati promulgandam esse. Quòd 22 verò Lex contineat materiam, cujus obfervantia singulas tangit parochias, nulla videtur inconvenientia, ut singulis intimetur; quemadmodum constitutio Tridentina de nuptiis Matrimonii clandestini à Concilio in *sess. 24. de ref. Matrim. cap. 1. inf.* in singulis parochiis publicari; & Bulla Cœnæ ex constitutione Variorum Pontificum in Ecclesiis quarumcunque Diocæsum semel aut sæpius quotannis declarari jussa est.

Deinde Constitutio Juris Civilis apertè huic sententiæ suffragatur. Licet enim S. Pontifex non teneatur in modo regendi & imperandi Legibus se se conformare: attamen propter majorem Canonum & Legum, Cathedralis Apostolicæ & Soli Imperatorii concordiam ultrò voluit, ut, quæ Jure Civili statuta sunt, trahantur etiam ad Jus Canonicum per vulgatissimos textus in *cap. 1. & 2. N. de O. N. cap. 9. 11. 12. & seqq. Dist. 10.* Ergo quia Leges Civiles ex constitutione *Novella 66.* requirunt promulgationem in singulis Imperii provinciis (ut nunc supponimus, & infra in *cap. 7.* demonstrabimus) requirunt etiam Ecclesiasticæ, de quibus in contrarium nulla extat ordinatio: idque tantò magis, quòd Romana Ecclesia in pluribus mundi regionibus & regnis, quàm Romanum Imperium, est dilatata.

Ad hæc non solum Civile, sed ipsum Jus Canonicum promulgationem in provinciis desiderat. Siquidem in *cap. cum infirmitas 13. de Penitent. & remiss.* Innocentius III. constitutionem de Medicis, in Concilio Lateranensi editam, *ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moveant, & inducant, ut Medicos advocent animarum;* tunc deum obligare vult, postquam per Prælatos locorū fuerit publicata.

Neque respondeas I. non obligationem recitatæ constitutionis, sed poenam ingressus 26

in Ecclesiam ad promulgationem localem adstringi. Si enim poena non obliget, antequàm Lex poenalis promulgationem localem adepta sit; certè nec præceptiva Lex obligabit antea: tum quia gravior & deterius est, reatum culpæ & poenæ æternæ, quàm temporalis incurrere: tum quia ipsa Lex poenalis spiritalis non obligat, nisi culpa præcesserit *ex cap. 1. n. 255.*

27 Neque respondeas II. allatam constitutionem particularem esse, atque vel ex hoc ad alias Leges non ampliandam, quia in aliis similes lausule non reperiuntur. Enimverò sicuti *Novella 66.* licet particularis sit, de LL. testamentariis duntaxat præscripta, nihilominus ob identitatem rationis ad reliquas LL. porrigitur: ita *cap. cum infirmitas*, esto particulare sit, ac de Medicis tantum loquatur, ad alias tamen LL. ob rationis identitatem extendendum est: quia videlicet ab omnibus est, Leges obligare, antequàm communitati sint sufficienter manifestatæ. Et demus, *cap. cit.* esse particulare, nec extendendum; attamen non solum & unicum est, sed alia sibi concordantia reperit. Nam in *cap. proposuisti 2. v. nam si Dist. 82.* aperta fit mentio constitutionis de Clericorum incontinentia, quòd ad provincias commoverit; in *cap. sicut olim 25. de Accusat.* mandatur, ut constitutiones seu regula canonice in Concilio provinciali relegantur; & constitutiones provincialis Concilii in Episcopaliibus synodis, annuatim per singulas diocæses celebrandis, publicentur; in *cap. quoniam 40. de Simonia Innocentius III.* in generali Concilio præcipit, ut constitutionem de professione simonica, ibidem relata, Diocæsanii Episcopi singulis annis faciant per suas Diocæses publicari, ne per simplicitatem vel ignorantiam alii qui se valeant excusare; in *cap. ita quoniam 6. cap. ad liberandum 17. de Judic.* ab eodem Pontifice in generali Concilio sancitur, ut constitutio, prohibens communicationem cum Saracenis per subministrationem armorum & similia, diebus dominicis & festivis crebrius publicetur.

28 Denique si Christi Domini exemplum est securissima agendorum regula, bene concluditur, quòd, sicut illius autoritate Lex Evangelica, tametsi Jerusalem in die Pentecostes solemniter promulgata fuerit, nihilominus per Apostolos in uniyersis mundi provinciis est prædicata & promulgata *ex cap. 3. num. 37. & seqq.* sic etiam Lex Ecclesiastica, tametsi Romæ solemniter promulgata fuerit, in omnibus provinciis, Ecclesiæ subiectis, per Ecclesiarum Antistites promulganda sit.

29 Opponunt II. Libri & Volumina Juris Romani Civiliis vim obligandi in Germania non habebant, antequàm in Scholis publicè relecti, ac ex Schollis in dicasteria per usum & praxin delati sunt. Ergo nec Libri Juris Canonici & Leges Ecclesiasticæ, inibi comprehensæ, vim obligandi habent, nisi in Scholis Germaniæ invecatæ, publicè fuissent ex Cathedra explicatæ, & postea ad Curias Ecclesiasticas

traductæ. Adeoque argumentum in *num. 16.* adductum, potius in confirmationem quàm eversionem hujus opinionis deservit: cum continua Librorum, in corpore Juris Canonici existentium, expositio, declaratio, praxis, & usus vicem promulgationis subeant, & ante expositionem in Academiis nullis illis virtus, nulla vis confiterit.

Opponunt III. Ipsimet primæ sententiæ 35 fautores fateri coguntur, plurimas extravagantes Bullas in Germania & alibi non obligare. Cur ita? Vel quia sic habet consuetudo, ut ejusmodi Bullæ, non publicatæ in partibus, non obligent: vel quia Regibus & Principibus privilegium esse concessum, asserunt, ut Leges Ecclesiasticæ non fringant ante promulgationem, in provinciis factam. Mezger *cit. loc. n. 12.* Laymann *Theol. Moral. l. 1. tr. 4. cap. 2.*

De Legibus infirmitibus contractibus, inferentibus censuram, & similibus plerique contendunt, illas non obligare, nisi promulgatas in provinciis, ac cum publico dispendio plures contractus rescindi, aut cum animarum periculo censuras sæpius incurrì necesse sit. Ipsum quoque Tridentinum 37 Concilium (extra Fidei decreta) non obligare in provinciis, in quibus promulgatum non est, idem Mezger & alii testantur. Fuitque hæc antiquissima, & plurimum sæculorum usi firmata consuetudo, quòd Leges tam Conciliorum quàm SS. Pontificum singulis provinciis promulgari consueverint, ut citatus antea Gibalinus à *n. 7. usque ad 15.* per inductionem eleganter deducit; pateque noviter tum *ex num. 23.* de Concilio Tridentino & Bulla Cœnæ Domini; tum ex Bulla Urbani VIII. de Anno 1627. quæ incipit: *pastoralis &c.* ubi uniyersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati, nihiliter constituitis, committitur, ut omnia, & singula, in eadem Bulla contenta, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad Divina conveniret, solemniter publicent. Quòd verò Regulæ Cancellariæ non sint, 39 in partibus publicatæ, ac Romæ secundum Leges ibidem promulgatas causæ decidentur, ita stylos Curie habet, qui extra Curiam non facit jus: cum causæ beneficiales, & quæcunque extra Curiam ventilandæ, juxta Commune Jus decidi possint, licet in Curia discutendæ secundum Curie styllum regulentur. Engel *cit. n. 67.*

Ita pro & contra se pugnant recenti 40 Authores; quorum utraque sententia tanquam verè probabilis hucusque judicata est, donec Joann. Carden. in *Cristi Theologia part. 1. tr. 1. cap. 22. art. 11.* primus, ut ipsemet fatetur in *num. 416.* docere, non sit veritus, posteriorem, quæ promulgationem in provinciis exigit, non amplius esse probabilem, post decretum Alexandri VII. quòd damnavit sequentes tres propositiones.

I. Duplicatum stipendium perest Sacerdos pro eadem Missa licet accipere, applicando potènti partem specialissimam fructibus, celebrans.

celebranti correspondentem, & hoc post decretum Urbani VIII. II. Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia stipendii parte sibi reservata. III. Mendicantes possunt absolvere à casibus, Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. Ratio,

42 quâ movetur Cardenas, est. Illud dicitur improbabile, quod est incompatible cum principio certo. Sed opinio prædicta est incompatible cum principio certo, citatò nempe Alexandri VII. decretò. Etenim damnatio relatarum propositionum, per decretum facta, supponit tanquam certum, eas Leges Pontificias obligare omnes Christi fideles: illa autem opinio ponit, eas Leges Pontificias non obligare omnes Christi fideles, ut potest non promulgatas in omnibus provinciis. Ergo eadem damnatio est incompatible cum prædicta opinione, cujus Authores, dum post decretum Urbani VIII. asseruerunt, adhuc licere accipere duplicia stipendia, &c. ed nitentur fundamentò, quod non esset decretum in provinciis, extra Romanam, promulgatum.

43 Verum Cardenas generosò clamò se opponit P. Krimer ad tit. de Constitut. à num. 159, ac ostendit, rationem Cardenas tantâ emphasi non polle, ut posteriore sententiam à gradu veræ probabilitatis deiciat. Minor siquidè propositio rotundè negari; atque ad illius probationem responderi potest I. non esse certum, quòd Authores propositionum damnatarum in ea duntaxat ratione se fundarint: quia Decretum Urbani VIII. vel Pauli V. non fuit in provinciis manifestatum: potuerunt namque fundamentis aliis opinionem suam roborare, sicuti nunquam defunt plausibiles prætextus, quibus erronea quoque placita colorentur.

44 Xerdi potest II. transmittendò, quòd propositiones enumeratæ eà ob causam proscriptæ sint: quia illarum Authores putabant, decreta Pontificia non obligare, nisi promulgata in partibus. Exinde tamen non sequitur, quòd sententia, doens, promulgationem ad LL. Pontificias requiri, damnata sit. Nam plurimæ propositiones nigro comate reperiuntur notatæ, earum tamen rationes eò ipsò non ferunt nigrum calculum.

45 E. G. Inter plures alias propositiones, ab Innocentio XI. gloriosè memoriæ 2. Martii 1679. reprobatae. num. 54. est sequens: qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem. Et tamen nemo dixerit, rationem, quâ nitetur illa propositio, nempe quòd major pars trahat ad se minorem, in se reprobata esse: cum sexcentis aliis casibus, puta, commixtione rerum & liquorum, con-

fusione rei sacræ & profanæ, electione, & plerisque actibus ab aliqua Universitate gestis &c. adhuc verum sit dicere: major pars trahit ad se minorem. cap. quia propter 42. de Elect. cap. cum in cunctis 1. de his qui sunt à maiore parte &c. cap. quòd in dubiis 3. de Consecrat. Eccles. vel alt. l. quod major 19. ff. ad Municipal.

Non ergo ratio, in qua propositionum re- 45 jectarum Patroni vim ponebant, in se rejecta, sed tanquam malè applicata Pontificiam correctionem, non simpliciter, sed in complexo, meruit. Ideò autem malè applicata fuit: quia propositiones, vel principii Fidei, vel regulis morum adversæ, non egent promulgatione in provinciis, ut robur amittant: cum enim Juri Divino & Naturali repugnent, humanâ promulgatione opus non habent. solâ declaratione contentæ, quæ, ubi subditis quomodolibet innotuerit, statim ad partitionem & obsequium illos adstringit. Neque id mirum videri debet: quandoquidem & humanæ Leges, quando nudè declarantur, promulga-

tionem non egent per cap. in casibus 19. de Sent. & re judic. l. ult. in princ. & §. 1. Cod. de LL. Quòd 47 verò propositiones, in num. 41. relatæ, in regulas morum impingant, in dubium haud venire potest. Nam propositio prior de non accipiendo duplicato stipendio non solum impossibilitatem involvit rationis specialis fructus, quem tanquam personalissimum sibi potest & tenetur reservare sacrificans; sed etiam simoniz obnoxia est: cum stipendium secundum non pro labore vel obligatione, sed immediate pro fructu, tanquam re sacra, datur. P. Sbogar Theol. radicalis tract. 121. n. 60. Altera propositio de non transferendis & 48 quasi vendendis Missarum stipendiis in minore quantitate, quam accepta sint, involvit turpem quæstum, parit scandalum, minuit Divinum servitium & fervorem, anam præbet simoniz, ac intentioni offerentium adversatur. Sbogar cit. loc. n. 72.

Tertia 49 propositio, quòd Mendicantes nequeant absolvere à casibus, Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcopo facultate, vel ex eo probatur iniqua: quia sine jure vel privilegio non datur absolvendi potestas: ergo quia Mendicantes nec jus nec privilegium absolviendi habent à casibus, Episcopo reservatis, vel, si quod habuerit, per revocationem Pontificiam anteedenter amiserant, sanè absolvi non poterunt. Et certè cum privilegia, præsertim merè gratuita, possint revocari absque solenni promulgatione, dummodo revocatio privatim innoteat: non video, quomodò privilegium absolviendi, semel revocatum, promulgatione in provinciis habuerit opus, ut revocatum fuisse censeri debuerit.

### §. III.

#### De Origine & Processu Juris Canonici.

51 **O**riginem Juris Canonici æquissimò jure referimus cum P. Engel in Pream. Jur.

Can. num. 2. ad Primum & Divinum Legislatorem, Christum Dominum: ex quo enim, con-

consummatò Redemptionis opere, sublatus est in Cælum Empyreum, & collocatus ad dexteram Patris, unâ cum Suprema in spiritualibus Jurisdictione Petro ejusque successoribus Potestatem Legislativam per cap. translato 3. de Constitut. & ea, quæ paulò post in seq. seq. discutiemus, reliquit.

52 Hæc Potestate Princeps Apostolorum Petrus pro re nata mox usus, in adjutorium & consilium cæteros vocavit Apostolos, indixit aliquot Concilia, & quæ novello Christianorum germine proficua videbantur, statuit.

53 Patet hoc I. ex Actib. Apostol. cap. 1. ubi, Jerosolymis, statim post ascensum Domini Præsidente Petro, & congregatis Apostolis cum aliis ferè centum viginti, comprobata fuit electio D. Mathie, per sortem instituta.

54 Patet II. ex cit. Actib. Apostol. cap. 6. ubi in eodem loco & anno leguntur convenisse Apostoli & Discipuli, qui, ut murmuri Græcorum contra Hebræos obviarent, & omnium indigentiz prospicerent, septem Diaconos, & inter hos 55 Stephanum, ordinarunt. Patet III. ex iisdem Act. cap. 15. & ad Galat. cap. 2. ubi itidem refertur, sub Capite Petro Concilium fuisse coactum, & in eo comparuisse Paulum, Joannem, Barnabam, atque Seniores, sanctique, ut neo-conversi gentiles non circumciderentur, abstinerent tamen ab idolothytis seu oblationibus, quæ fiebant idolis, nec non à sanguine & suffocato. Patet

56 IV. ex sæpe allegatis Actib. cap. 21. ubi decreta prioris Concilii, in præsentia Apostolorum Jacobi & Pauli ac Seniorum, confirmata sunt, Judæisque credentibus usus legalium est permissus. Patet V. ex Ludovico Bail in Summa Conciliarum tom. 1. pag. m. 131. & seq. ubi alias adhuc Apostolorum congregationes fuisse, præsertim eò tempore, quò Apostoli ad prædicandum Evangelium in provincias discesserunt; & quò Virgo DEI para obdormiv, ac S. Damasceno teste Apostoli, adhuc

viventes, & per orbem dispersi, convenerunt, & haud dubiè non pauca, ad Regimen Orthodoxæ Ecclesiæ conducentia, statuerunt, commemorat. Videantur etiam ad propositum Gonzalez in apparat. Jur. Canon. n. 31. & P. Plettenberg in Intraduct. ad Jus Can. cap. 11.

Leges Ecclesiasticæ, & Sacri Canonis, quos 58 in hisce Conciliis & aliis condiderunt Apostoli, ab initio non statim literis commendati, sed, traditionem instar, in corde fidelium erant servati. Nam, ut Tertullianus, à Gonzalez d. l. num. 40. laudatus, ait, prior fuit anima, quam litera; & sermo prior, quam liber; & prior sensus, quam stylus.

Horum meminit Sacer Historicus in Actib. Apostol. cap. 16. §. 4. scribens: cum autem (Paulus & Timotheus) pertransirent civitates, iradebant eis custodire dogmata, & quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Jerosolymis.

Tandem D. Clemens, Apostolorum Coætaneus, S. Petri Successor & Discipulus, sub nomine Canonum Apostolorum primævus Ecclesiæ constitutiones in unum volumen græcè congestit, in latinum postea verlas à Dionysio exiguò, veluti jam supra in tract. Preamb. cap. 1. n. 111. relatum, & Canonum Apostolorum autoritas fuit stabilita. Conferatur 60

cit. Bail pag. 134. & seq. ubi eandem Canonum autoritatem nobiscum firmat, simulque vim & sensum declarat; & rejiciens quidem canonem ultimum; tertium verò dividens in duos.

Posthæc, cum in universo mundo propagata esset Ecclesia, longè plura ferè celebrata Concilia; iterata & frequentera Concilia & Pontificum decreta; perita & edita; rescripta; & quibus multarum Canonum & Legum Ecclesiasticarum Compilationes in lucem emerferunt. Revideatur cit. tract. Preamb. cap. 1. à num. 43. ubi fufidus de hujusmodi compilationibus & earum efficacia Legali differui.

## SECTIO II.

### De Causa Efficiente Juris Canonici, seu Legislatore Ecclesiastico.

#### SUMMARI A.

61. Leges Ecclesiasticas condit Legislator Ecclesiasticus. 62. & seqq. S. Pontifex habet potestatem Legislativam immediatè à DEO. 67. & seqq. Potest illam statim post electionem exercere. 71. & seqq. Independentem à consilio Cardinalium. 76. & seqq. Intra & extra Concilium generale. 81. & seqq. Describuntur & distinguuntur varia Concilia. 86. & seq. Concilia generalia ferunt generales Leges. 88. & seqq. Si anteharitate Pontificia sine congregata, & approbata. 91. & seq. In casu schismatici

Concilium ferri Leges solum pro necessitate. 93. & seqq. Concilia alia ferunt Leges pro suis particularibus Nationibus, Provinciis, aut Diocesis. 97. & seqq. Cardinales statunt Leges pro suis titulis. 101. & seqq. Episcopi & alii Prælati pro suis districtibus. 104. De Capitulis Cathedralibus remissivè. 105. & seqq. Prælati Regulares pro suis Convocantibus statuta faciunt. 114. & seqq. Laudabiles tamen consuetudines tollere non possunt. 117. Abbatibus hæc potestate non polleat.

### §. I.

#### De Potestate Legislativâ Summi Pontificis.

61 **C**ausa Efficiens Legum Ecclesiasticarum est Legislator Ecclesiasticus. Ubi præ omnibus eminet S. Pontifex: circa quem

Dico I. S. Pontifex potestatem Legislativam immediatè à DEO concessam habet. Conclusio est Catholica & de Fide. Suarez de LL. O. 3

LL. lib. 4. cap. 3. num. 10. Reding de LL. q. 16. art. 1. controu. 1. n. 10. Mezger disp. 34. art. 1. n. 11. Gibalinus l. 5. cap. 3. quæst. 3. §. 3. & 13.

62 Patet I. ex illo Matthæi 16. §. 19. tibi dabo claves; quodcumque ligaveris &c. & illo Joannis 22. §. 17. pascis oves meas. II. ex cap. in novo testamento 2. cap. quæstus 3. Diff. 21. III. ex cap. si Romanorum 1. cap. sic omnes 2. Diff. 19. cap. sic beatissimus 16. cap. loquitur 18. XXIV. q. 1.

63 IV. ex ratione: quia S. Pontifex est Vicarius Christi, cap. novit. 3. de Judic. non ab homine, sed DEO constituitur. Sicut ergo DEUS, sic à DEO S. Pontifex potestatem Legislativam concessam habet.

64 Nec sufficit dicere: ex allatis textibus & ratione tantummodò probari, quòd S. Pontifex regendi, non etiam Leges ferendi potestatem à DEO sit adeptus. Nam potestas ligandi amplior est, quàm ut infringatur ad solum regendi munus; ipsùmque Legis vinculum videtur esse illa ligatura, quàm S. Pontifex in terra pro suo facit arbitrio. Ex quo enim Superior, Rector, & Caput est fidei, est quoque Legislator per cap. 7. de Constitut. ibi: *Translatò Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat.* Quia omnis communitas perfecta requirit potestatem Superiorem, non qualem qualem, sed Legislativam, ut inferius cap. 7. sect. 2. dicemus. Quapropter in cap. sic omnes 2. cit. Diff. 19. pulcherrimè Agatho Papa, sic omnes, ait, *Apostolica Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini Patri voce firmata sint.* Et Stephanus Papa in cap. evolvere 4. ead. Diff. quia in speculum, inquit, & exemplum S. Romana Ecclesia, cui nos Dominus præesse voluit, proposita est, ab omnibus, quidquid statuit, quidquid ordinar, perpetuò & irrefragabiliter observandum est. Et Innocent. III. in cap. quanto 3. de Translat. Ep. non humanà sed Divinà potius auctoritate dissolvi, asseverat, que Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed DEI vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensatà, dissolvit. Conferantur etiam textus in cap. sunt quidam 6. XXV. quæst. 1. cap. ult. de Constitut.

67 Dico II. Romanus Pontifex, legitime electus, absque ullà confirmatione, consecratione, vel coronatione, potestatem Legislativam exercere potest. Bellarminus, Turrecremata, Barbofa & Interpretes ad cap. in nomine 1. Diff. 23. ubi Nicolaus II. in Concilio Lateranensi ita decernit: *electus tamen, sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates; illius: quod beatus Gregorius ante suam consecrationem fecisse, cognovimus.* Idem statuitur in Extravag. ult. de Sent. excommunicat. inter commun.

68 Ratio est: quia Romanus Pontifex, cum Superiore in terris non revereat, confirmatione opus non habet, sed, quamprimum legitime & canonicè electus est, Divinà auctoritate, tanquam Verus Christi Vicarius & D. Petri successor, potestatem Ecclesiasticam nanciscitur. Cardinales siquidem, non ut Canonici Episcopo, jus aliquod S. Pon-

tifici per electionem tribuunt, sed nudam personam designant, in quam immediatè DEUS Supremam Ecclesiæ potestatem transfert cap. licet 6. de Elect. & ibi Gonzalez num. 15. cap. per venerabilem 13. *Qui filii sint legit.* Neque consecratio quidpiam de Jurisdictione confert, sed Ordinis duntaxat potestatem indulget. Minus coronatio aliquid præstat, cum magis ceremonialis, quàm substantialis sit.

Dico III. Romanus Pontifex Legem Ecclesiasticam universalem independentè à Cardinalium consilio ferre potest. Abbas in cap. ex gestis 2. de Cleric. non resident. 4. Felinus in rubr. de Constitut. num. 2. Suarez d. l. num. 14. Reding l. c. num. 11. Card. de Luca in Relation. Curia disc. 3. num. 31. & seqq. Ratio est: 72 quia Romanus Pontifex eandem obtinet potestatem, quam obtinuit S. Petrus Extravag. unam sanctam 1. de M. & O. inter commun. Sed D. Petrus habuit potestatem condendi Leges independentè à consilio Cardinalium: illius enim ætate necdum erat erecta Cardinalium dignitas; & Apostoli, licet in ministerium & adiutorium Petri fuerint assumpti, non tamen in plenitudinem vel consortium Summæ Potestatis, ut proxima docebit conclusio. Ergo &c. Videatur cap. ipsi sunt 16. & seqq. IX. quæst. 3.

Quòd autem in Constitutionibus Pontificiis sæpius occurrat hæc clausula: *de fratrum nostrorum consilio*; nullam necessitatem adhibendi ad constitutionis valorem Cardinales, sed majorem deliberationem, & rei constitutæ ponderationem denotat. Et quamvis 74 in aliquibus actibus Pontificia potestas quodammodo restricta videatur ad consilium vel consensum Cardinalium, ut deducitur ex Constitutione Pii V. de non infraudando; & in altera Sixti V. super usû pecuniæ, existentis in Arce S. Angeli: attamen, ut notat 75 Card. de Luca cit. l. n. 35. id provenit vel ex virtute juramenti, spontaneè præstiti; vel potius ex Potestate temporali, quæ competit Pontifici non quâ tali sed quâ Principi Politico.

Dico IV. Pontifex Maximus extra Concilium Generale Leges universales pro tota Ecclesia potest præscribere. Ita non solum Authores illi, qui cum receptissima extra Galliam sententiâ docent, Pontificem esse supra Concilium, sed etiam contrarii, prout ostendit per multa folia Gibalinus ubi supra §. 7. §. 13. & 14. Deducitur conclusio hæc ex prima. Cum enim Pontifex Maximus Jurisdictionem suam immediatè nactus sit à DEO; neque in exercitio illius à Concilio pendeat, ut pote quod ab ipsomet Pontifice congregari & approbari debet cap. significasti 4. de Elect. nec continèd, & quoties expostit Ecclesiæ utilitas vel necessitas, convenire potest, veluti gnæviter expendit Eminentissimus noster Cardinalis Sfondrati in Regali Sacra. lib. 2. §. 15. n. 1. potest profectò idem Romanus Pontifex separatim à Concilio Leges universales præscribere. Adhæc, cum in Regimine 78 Monar-

Monarchico potestas Legislativa penes unum Principem residet: cur in Ecclesia, cujus regimen Monarchicum esse, ex Monarchiæ præstantia, diuturnitate, & utilitate egregiè demonstrat præcitatus Card. ead. lib. 3. §. 13. num. 1. Summus Princeps & Pontifex potestatem Legislativâ solus non præcellat?

79 Legitur quidem Matthæi 18. §. 18. Christus omnibus Apostolis dixit: *quoscunque alligaveritis super terram &c. & Joannis 20. §. 21. sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Exinde tamen perperam inferitur, communem Apostolorum cum Petro Jurisdictionem indultam, & potestatem Petri Legislativam Apostolorum 80 Concilio & consilio fuisse alligatam. Nam, ut acutè citata Scripturæ loca disquirat Card.

§. II.

De Potestate Legislativâ Conciliorum.

81 Concilium, sive à consulendo, sive à considendo dictum, est conventus publicus, ad tractandum de rebus Ecclesiasticis institutus. Aliud est Universale, seu Oecumenicum; aliud Nationale, aliud Provinciale, aliud Diocesanicum. Universale est conventus Præfulum, Ecclesiæque totius Pastorum, legitime auctoritate indictus, factus, confirmatusque, ad majora Fidei & Religionis definienda negotia. Eminentiss. Sfondrati Regal. Sa- 82 cerdot. lib. 2. §. 1. num. 1. Sicut enim ob publicas communèque omnium civium & Reipublicæ necessitates convocantur à Principe Comitia generalia; sic, cum Fidei, quæ omnium Christianorum consue est bonum, periculum & bellum impendet, omnium Ecclesiarum Pastores evocantur, communem causam communi votò acturi. Idem Cardinal. 83 ibid. Nationale est conventus, à Papa vel Patriarcha aut Primate, convocatis totius Nationis, Regni, aut plurium Provinciarum. 84 Archi- & Episcopis, celebratus. Provinciale est conventus, ad quem omnes Suffraganei Episcopi, Abbates, & Clerici totius Provincie ab Archi-Episcopo seu Metropolitanò citati conveniunt. Diocesanicum est conventus, quem indicit Episcopus Capitulo Cathedrali, Abbatibus & Clericis suæ Diocesis. Ut pateat, qualem Concilia in LL. ferendis auctoritatem habeant.

Dico I. Concilia Generalia generales Leges condere possunt, si auctoritate Summi Pontificis congregata & approbata fuerint. DD. Catholici unâ voce & mente. Constat ex Aët. Apostol. cap. 15. & ex cap. Canones 1. & 2. seqq. Diff. 15. item ex l. nemo 4. l. cognoscere 7. §. 4. Cod. de SS. Trin. ubi Imperatores Marcianus & Justinianus Catholicam suam de Conciliorum veneratione mentem apertè professentur. Rationem hujus conclusionis dat Card. Sfondrati d. lib. 2. §. 2. num. 1. & 2. quia ex Juris tam Divini quàm Naturalis præcepto æquè Ethnicis quàm Christianis semper in more positum erat, ut in rebus arduis ad

Sfondrati d. lib. 2. §. 4. n. 2. circa fin. ibi potestas ligandi atque solvendi à Apostolis eorumque in officio Successoribus limitatè tantum pro suis determinatis Ecclesiis collata fuit, claves verò totius Regni Cœlorum nulli quàm Petro Petrique Successoribus sunt commissæ. Sicut autem, ait ille, aliud est, claves ærarii, aliud pecuniam ex ærario habere: quò illud plenitudinem, hoc portionem tantum potestatis ostendit: ita aliud est, claves habere Regni Cœlorum, aliud potestatem ligandi & solvendi; hoc enim partem, illud totum significat. Hucque collimat textus in c. h. novo 2. & seq. Diff. 21. cap. quodcumque 6. cap. non turbatur 7. cap. rogamus 15. cap. cum beatissimus 16. XXIV. quæst. 1.

Dixi tamen: *si auctoritate S. Pontificis congregata, & approbata fuerint.* Nam Concilia, quæ propriò motu coalescunt, dicuntur Acceptacula, hoc est, Corpus sine Capite; dicuntur etiam conventicula & conciliabula, ut loquitur Pelagius II. in cap. multis 5. Diff. 17. quia membra, quantumcumque unita, vigorem non habeant, nisi à motu & influxu capitis. Vide cap. Synodum 1. & seqq. cit. Diff. 17. Concilia verò, quæ S. Pontificis auctoritate quidem congregata, non tamen approbata sunt, ex eadem ratione destituuntur robore & vigore, dum ab alio, quàm S. Ecclesiæ Principe, potestas ligandi respectu totius Ecclesiæ nequit exerceri: cum, (verba sunt Palschali in cap. significasti 4. de Elect.) omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta sint, & robore acceperint. Et hinc provenit, quòd 93 ex plurimis Oecumenicis Conciliis octodecim duntaxat ex toto sint authentica: quia non plura Sedis Apostolicæ auctoritate sunt approbata. Nempe Nicæanum I. & II. (à quo Sardicense non videtur esse diversum, ut scribit Plettenberg in Introduct. ad Jus Can. cap. 13. pag. m. 170.) Constantinopolitanum I. II. III. & IV. Lateranense I. II. III. IV. & V. Lugdunense I. & II. Ephesense, Chalcedonense, Vienneense, Florentinum, Tridentinum. Nam Constantiense, & Basileense partim approbata, partim non approbata sunt. Videatur cum Bellarmino de Concil. lib. 1. cap. 5. Franciscus Antonius Phœbeus Instit. Juris Can. tit. Proum. à num. 8. & Plettenberg cit. cap. 13. & cap. 14.

An verò Concilium in casu schismatis vel 91 Sedis diu vacantis facere possit Leges Ecclesiasticas? Quærit. Et resp. cum P. Suarez de LL. lib. 4. cap. 6. n. 4. P. Mezger d. disp. 34. art. 1. n. 14. & aliis: Concilium posse quidem Leges Ecclesiasticas condere, in quantum exigat temporum necessitas; non aliter tamen habitu-

bituras efficaciam, & durationem, nisi à Successore Pontifice confirmetur. Ratio est: quia absolutam potestatem Concilium tunc neque à Summo Pontifice habet, cum nullus adesse supponatur; neque à DEO, ut pote de quo nulla Lex vel traditio extat. Ergo habet à Jure Naturæ, in quantum cuilibet corpori mystico conceditur, ut in defectu Capituli seipsum congregare, subque bono prospicere possit.

93 Dico II. Concilia Nationalia potestatem habent condendæ Legis pro Natione; Provincialia pro Provincia; Diocesana pro Diocesi. Suarez d.l. n. 8. Sant-Gallenfens de LL. scilicet. 3. q. 1. f. 89. & communis. Habetur conclusio in cap. Catholica 8. Dist. 11. cap. Concilia Dist. 17. cap. ult. & fere tota Dist. 18. Concil. Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 2. Ratio est: quia potestas Legislativa ad tantum spa-

tium extenditur, ad quantum Jurisdictio. Ergo cum Jurisdictio Concilii Nationalis Natione; Provincialis Provinciâ; Diocesani Diocesi concludatur, & concludatur quoque hæc limitibus potestas Legislativa. Neque, ut suos intra fines constitutiones talium Conciliorum obligant, approbatio Pontificia requiritur: tum quia in Concil. Trident. cit. diserte jubetur, ut, quæ à Concilio Provinciali ordinata fuerint, observentur; tum quia Concilia præfata unâ cum Jurisdictione in suis territoriis potestatem Legislativam accepisse videntur. Dummodò contra Jus commune SS. Canonum nil statuatur, aboleatur, aut abrogetur per cap. si quis 2. de M. & O. cap. ult. de Constit. in 6. Suarez cit. l. num. 10. Pettschacher de LL. quest. 4. a. 3. f. 93. Card. de Luca de Jure patron. dist. 67. num. 12.

### §. III.

#### De potestate Legislativâ Cardinalium, Episcoporum, & Prælatorum majorum.

97 Dico I. Cardinales in suis Titulis particularia statuta promulgare valent. Reding d. q. 16. a. 1. contr. 2. n. 25. Sant-Gallenfens cit. l. f. 90. Colligitur non solum ex cap. his que 11. de M. & O. ubi Cardinalibus in suis titulis Ordinaria Jurisdictio tribuitur; Sed etiam & multò magis ex concordia ferè DD. opinione, docentium, quòd illa Jurisdictio sit quasi-Episcopalis. Card. de Luca de Jure dist. dist. 34. n. 8. & seqq. ideòque tam potens ad LL. ferendas, quam Episcopalis.

99 Dixi: pro suis Titulis. Quòd enim pro tota Ecclesia, etiam vacante Sede Apostolica, nequeant Cardinales, collectivè sumpti, Leges condere, præter dicta in num. 48. de Concilio Generali, contra Archi-Diaconum, quem & alios citat, & rejicit Suarez d. cap. 6. n. 5. & 6. probant textus in cap. ubi periculum 3. de Elect. in 6. Clem. ne Romani 2. in pr. eod. ubi dilucide decernitur, Jurisdictionem Romani Pontificis post obitum ad Cardinales non devolvi.

100 Ideò nempe: quia nec à Cardinalibus in Pontificem, solum Christi Vicarium, adminiculante electione transferitur; nec à Pontifice decedente, velut personalissima, in Cardinales devolvitur.

Dico II. Episcopi, & Prælati Superiores, 101 veluti Archi-Episcopi, Primates, Patriarchæ, Constitutiones Ecclesiasticas pro suis particularibus Ecclesiis ordinare valent. Reding d. l. 1. n. 15. Pettschacher cit. q. art. 3. concl. 3. Sant-Gallenfens d. l. Textus bonus in cap. si quis 2. de M. & O. cap. ult. de Constit. in 6. Et ratio ex cap. duo simul. 9. cap. conquerente 16. 102 de Off. Jud. Ord. ubi Jurisdictio ordinaria, ac magna cum latitudine Episcopis concessa esse, dicitur: hocque conformiter Divinæ concessioni apud Matthæum cap. 18. quidquid alligaveritis &c. & dictis supra in n. 74. Attractionem & hic illa limitatio, quæ habetur in n. 96. ne scilicet ejusmodi Leges adverterentur Juri Communi, repetenda erit. Card. de Luca Miscellan. dist. 7. n. 18. in f.

Qualem potestatem habeant Capitula Cathedralia Sede vacante vel alias? An & quas Leges possint decernere? Docebit cap. sicut 27. de Jurejur. cap. contingit 1. eod. in 6. ubi Passerinus in Commentar. cap. 3. & 4. de Suppl. neglig. Pral. eod. in 6. Card. de Luca de Canonis dist. dist. 13. 17. 19. 21. Reding d. q. 16. a. 1. contr. 2. n. 28. Suarez d. cap. 6. num. 11. & 14. Wiestner ad tit. de Elect. n. 160.

### §. IV.

#### De Potestate Legislativâ Prælatorum Regularium.

105 Ordines Religiosos potestate Legislativâ vel statutariâ (non tamen contra Jus; Card. de Luca de Regular. dist. 42. num. 13.) præditos esse, quotidiana monstrat observantia: dum circa Ordinis sui disciplinam, vel in melius reformandam, vel in suo flore conservandam, varias ordinationes proponunt.

106 In quoniam verò subiecto potestas illa residet; in Prælati localibus, vel provincialibus, vel in toto Ordine; In genere propterea definiti nequit: quia pro multifaria Or-

dinum distinctione distincta regendi & imperandi forma reperitur. Clariss. P. Wex in Epitome Canon. de Prælat. Regular. p. 1. cap. 6. num. 14. Si verò in specie loqui velimus de illis Ordinibus, qui ex primavâ sui institutionis eam unionem & subordinationem Monasteriorum non habent, quam Ordines Mendicantium

Dico I. Prælati Regulares locales possunt statuta condere, quæ ad Regularem disciplinam conducunt, primævum tamen Regulæ rigorem non intendunt. Reding d. contr. 2. num. 26. Clariss. D. P. Guetrather Instit. Jur. 108 Can. lib. 1. tit. 3. n. 34. Ratio est: quia Prælati & Abbates Regulares locales Ordinariam Jurisdictionem in subditos Regulares acceperunt, per tradita Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 17. num. 72. & textus complures in cap. cum in Ecclesiis 10. de M. & O. cap. cum ab Ecclesiis 3. cap. quanto 7. de Off. Jud. Ord. P. Engel de Privileg. Monast. privi. 48. Neque in exercitio hujus jurisdictionis à toto Ordine, Visitatore, vel Præside dependent per cap. nullam 9. XVIII. q. 2. ibi: ut de cetero fideliter & studiose universa, qua vel ad Divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere. Ergo vi Jurisdictionis suæ independenter à totius Ordinis, Visitatoris, aut Præsidis assensu, Prælati statuta Regularia secundum Regulam possunt condere.

### De Potestate Legislativâ Prælatorum Regularium.

110 Quòd autem Tamburinus noster tom. 3. de Jure Abbat. dist. 3. quest. 1. & cit. Wex num. 15. in diversam sententiam deflectant, non est, quod offendiculum nostræ conclusioni faciat. Prior enim Reverendissimus Author supponit, in aliis Congregationibus æque ac in sua Montis Oliveti, præse Supreme aliquod Caput & Abbatem Generalem, in quem tota Regularis potestas transfusa, & ab eo in Prælatos inferiores derivata sit: posterior verò Clarissimus Doctor differit de Provincialibus, Quardianis, Receptoribus; adeòque de Superioribus ex Ordine Mendicantium, ubi sub uno Capite totum Corpus dirigitur. Neuter ergo in sensu conclusionis nostræ placitum suum defendit.

111 Duo verò hic monenda sunt. Primum est: ne multitudo Legum subditi Regulares quasi obruantur. Nam ipsa multitudo impossibilitatè inducit, ut S. Thomas 2. 2. q. 105. a. 1. ad 3. (ut habet Magnific. Pettschacher d. q. 4. art. 8. f. 123.) docet, ibi: dicendum, quòd nullus obligetur ad impossibile. Et ideò si tot

præcepta Prælati aliquis ingerat, seu injungat, quòd subditus ea implere non possit, excusatur à peccato; & ideò Prælati abstinere debent à multitudine præceptorum. Alterum est: ut ejusmodi statuta cum consensu, vel saltem consilio Capituli & Conventus ordinentur arg. cap. quanto 5. de his que sunt in Prælat. sint conf. Capit. ubi Panormitanus num. 4. & 5.

Dico II. Prælati Regulares locales nequeunt condere statuta, quæ rationabiles & laudabiles consuetudines, contra primævum Regulæ rigorem hæcenus toleratas, abrogent. P. Engel ad tit. de Constit. n. 24. P. Guetrather cit. l. n. 23. P. Wenzl de LL. quest. 4. 6. 3. in Corollar. Ratio est: quia, qui Religionem in certo loco proficitur, non proficitur obedientiam præcisè secundum alia Regula, sed juxta temperatam loci consuetudinem. Ergo licet Prælati habeant jus imperandi secundum Regulam, non tamen habent jus imperandi contra consuetudinem, quæ Regulæ severiores articuli rationabiliter mitigati sunt. Neque dubium est, quin contra Regularia statuta prevalere possit consuetudo. Cum enim statuta sint, ab homine lata, perinde ac Leges aliæ humanæ consuetudinis vicissitudini subditi: eò minime attendit, quòd obligatio votorum ex Jure Divino pullulet: nam votum non obligat, nisi secundum intentionem & mentem voventium; qui in dubio tum Juri communi, tum consuetudini, à Jure probate, se se conformasse censentur.

Dixi in utraque conclusione: Prælati Regulares. Nec gratis dixi. Nam quia Abbatibus non dicuntur Prælati, ut loquitur Illustri. Reding d. contr. 2. n. 28. utpote cum Jurisdictionem Ecclesiasticam & spiritualement non habeant cap. nova 10. & ibi DD. de Penitent. & remiss. hinc nulla statuta Regularia condunt, sed præcepta solum, haud aliter atque alia matresfamilias, subiectis Monialibus imponunt. Sylvester in Summa in P. Abbatissa n. 1. Emmanuel Rodriguez Quest. Regular. tom. 1. q. 12. art. 2.

## SECTIO III.

### De Subjecto Juris Canonici.

#### SUMMARIA.

118. Legibus Ecclesiasticis tenentur subditi. 119. Rationis capaces. 120. & seq. Cujuscunque sint conditionis. 122. & seq. Etiam heretici. 124. & seq. Non tamen infideles. 126. & seq. Sententia contraria acquisitioni subicitur. 130. & seq. Leges Ecclesiasticæ, Divini vel Naturalis Juris declarativæ, æque Græcos ac Latinos stringunt. 134. & seq. Non item, quæ purè sunt humana. 137. Nisi jam ante recessam ab Ecclesia sint promulgatæ. 138. Diversa Legis virtus. 139. & seq. S. Pontifex non obligatur suis LL. vicariis. 143. & seq. Opponitur & subicitur cap. 41. II. q. 7. 145. & seq. Neque vi directivâ directæ. 148. & seq. Quia

quid alii contradicant. 152. Diversimode potest aliquis esse in loco. 159. Qui neque moraliter neque physice in loco est, non obligatur Legibus localibus. 160. & seq. Disparitas inter præceptum & Legem indicatur. 162. & seq. Etiam Leges universales aliquis non tenetur servare, si in loco transitus non sint in usu. 164. & seq. Discutitur, an liceat egredi à territorio, tantum ut Legis observantia declinetur? 167. & seq. Qui saltem moraliter est in territorio, obligatur illius Legibus. 170. Qui transit per locum, subicitur ejus Legibus. 171. & seq. Multifaria probationes, & eversiones reservationum oppositarum. 186. & seq. Tres objectiones



data? Deinde patet, non potestatem iudicariam in Imperatore agnitam, sed ipsius arbitrio intellectuali causâ, cujus innocentia confidebat Pontifex, censuram fuisse relictam.

145 Dico II. S. Pontifex ne quidem vi directivâ LL. suarum directè obligatur. Pettischer Reding *cit. l. Sant. Gallenses de LL. sect. 3. q. 2. conclus. 2.* & quamplurimi. Ratio est: quia, ut dicitur in *l. si de re s. l. ff. de Recept. qui arbit. nemo imperare sibi, aut seipsum prohibere potest.* Ad quam *l. Glossa fin.* tradit illud bro-

146 cardicon: *imperativus caret primâ personâ.* Nimirum omnis obligatio directâ supponit in imperante superioritatem, & in faciente subjectionem: quæ cum deficiat in Legislatore respectu sui ipsius, deficit quoque obligatio

147 directâ, per Legem intentâ. Et ita intelligendi sunt textus in *cap. innovuit 20. de Elect. ibi: Successoribus suis nullum potius hoc in parte prajudicium generare, cap. exiit 3. §. ceterum Sancta de P. S. in 6. ibi: nec Successorem suum (sub-*

*audi), Lex antecessoris) quomodolibet obligavit, cum non habeat par in parem imperium.*

148 Suarez de *LL. lib. 3. cap. 35.* Covarruv. Soto, & alii, qui docent, S. Pontificem vi directivâ LL. Ecclesiasticarum directè obligari, fundamentum in eo collocant, quod ratio dicitur, non aliter à DEO S. Pontifici potestatem Legislativam fuisse concessam, quam ut pari obligatione patiatur Legem, à se ferendam; qui proinde inquit ministri DEI inter ceteros sibi ferat tanquam membro communitalis Legem; sicque diversâ consideratione sit sibi ipsi Superior & inferior.

149 Sed non deest huic fundamentum sua responsio. Nam S. Pontifici concessa est potestas ligandi & Leges ferendi pro ovibus & fidelibus Ecclesiæ: ipse autem non est ovis, sed pastor; non fidelis subditus, sed caput. Ergo recta ratio non dicitur, ut Pontifex tam sibi quam ovibus Legem ponat: alias si sibi Legem poneret, nec ipse nec successor Legem abolere posset, contra textus in *num. 147. citatos.*

150 Neque contradicit textus in *cap. contra 7. XXV. q. 1.* ubi negat Zosimus, quod Apostolica Sedis Authoritas Patrum statuta immutare valeat; adeoque supponere videtur, quod etiam Pontificem ligent. Nam perspicuum est, Zosimum ibidem per statuta Patrum intelligere decreta fidei, quibus non minus Pontifex, quam ceteri fideles, assurgere tenetur: si enim SS. PP. extra fidei materiam quidpiam definiant, non solum non Pontificem, sed nec privatos obstringunt efficaciter, juxta dicta in *tract. pramb. cap. 1.*

*num. 82.* Hanc ipsam responsionem colligere licet ex *cap. sunt quidem 6. immediatè preced. d. XXV. quest. 1.*

Dico III. S. Pontifex obligatur vi directivâ suarum LL. indirectè. P. Mezger *disp. 35. art. 5. n. 9.* Haunold *tr. 1. de F. & J. n. 54.* P. König *ad tit. de Constit. num. 10.* P. Wenzl de *LL. q. 5. §. 1. resol. 3.* P. Guetraber *Inst. F. C. lib. 1. r. 2. §. 3. num. 124.* Ratio est: quia

S. Pontifex, cum sit pars Ecclesiæ, non qualiscunque, sed principalis, tenetur ex ipso Juris Naturalis dictamine bonum Ecclesiæ promovere, nec verbò tantum, sed & exemplò, quod, si in ulla re, certè in observantia Legis est longè potentius verbis; ostendentibus id notis Claudiani verficulis:

*Primus iussa sibi, tunc observantiar aequi  
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum  
Aularem parere sibi. Componitur orbis  
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.*

Ergo S. Pontifex LL. Ecclesiasticis indirectè tenetur. Nempè non ex virtute, per

154 Legem intentâ, sed occasione Legis, quæ excitat dictamine naturale, ut, quam aliis servandam proponit Legem, ipemet servatam possibilem opere commoneat, ne, dum primus Legis non tam lator quam tractor est, subditi anam sequendi malum exemplum præbeat. Sicque exaudiendi sunt textus in *cap. fatigandum 10. cap. a Sanctis 14. cap. iustitia 15. XXV. q. 1.*

Ergo, subinters, S. Pontifex actiùs suâ stringitur Lege, quam fideles subditi, dum isti ex Lege positivâ, ille ex Lege Naturali obligatur. Malè etiam subditi fideles ex Divino & Naturali Iure justa mandantibus obtemperare coguntur, ex *cap. 1. num. 224. & 228.* Ergo non magis isti, quam Legislator, obligantur.

Urges: cum fidelibus in sua Lege dispensat Pontifex: quia Lex Naturalis & Divina non obligant, si fideles non amplius velit esse obligatos Pontifex. Sed in Lege Naturali, dicente & imperante, ut S. Pontifex Legem suam custodiat, non dispensat Pontifex: quia Lex ista neutiquam alligat voluntati Pontificis. Ergo adhuc est fortior & intensior obligatio Pontificis. Sed in casum.

157 Sicut Jus Naturæ non vult, ut Pontifici obediant subditi, quando non imperat: ita Jus Naturæ non vult, ut S. Pontifex servet Legem, ad quam servandam ex justa causa non tenetur. Sicut ergo non obligatur sua Lege, nisi iuste voluerit: sic rectè dispensat in sua Lege, si obijstz causæ interventum eum obligari Jus Naturæ non velit.

#### §. IV.

#### Quinam obligentur particularibus Ecclesiarum statutis?

158 V Arii hominum gradus in præsentî considerandi, & discriminandi sunt. Primum enim alii existunt intra territorium Ecclesiæ,

jus particulare statuentis; alii extra. Secundò qui intra territorium existunt, habent quandoque domicilium verum aut quai; ali-

#### Quinam obligentur particularibus Ecclesiarum statutis?

quando per modum transitûs ibidem commorantur. Tertiò qui in territorio domicilium fortuntur, à Jurisdictione loci nonnunquam exempti sunt. Quartò qui extra territorium degunt, possunt abesse vel physicè & moraliter simul, vel solum physicè. Physicè & moraliter absunt, quando quoad personam & actionem absunt. Physicè absentes, & moraliter præsentés sunt, qui alibi commorantes aliquam actionem, omissionem, vel damnum, à se causatum, intra territorium ponunt. Quintò reperuntur aliqui, qui nulli larem & domicilium habent, vocanturque vagabundi. De omnibus hæc personis separatas conclusiones subjicio, &

159 Dico I. Qui neque physicè neque moraliter est constitutus intra territorium Ecclesiæ, non obligatur particularibus illius statutis. Est decisa conclusio in *cap. ult. de Constit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *Statutis Episcopi*, inquit, *quò in omnes, qui fuerunt commiseris, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, fuerunt extra ipsius Diocesim committentes, minime ligari noscuntur.* Rationem subdit ex *l. ult. ff. de Jurisdic. cum extra territorium. Jus dicenti non pareatur imponit.*

160 Qui cum Castropalao *tr. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5. n. 21.* alterius mentis sunt, pro se ita discunt. Præceptum Superioris afficit subditum, etiam extra territorium existentem. *arg. cap. non est 7. cap. sicut nobis 17. & cap. ult. de Regular. Ergo etiam Lex Superioris. Consequenter, pro qui sententiam & præceptum generale imponit, jus dicit, sicuti qui Legem imponit: si igitur per præceptum dicere quis potest si in existentés in alieno territorio, cur non dicere poterit per Legem?*

161 Alii aliter, ego cum Reding *d. q. 16. art. 3. contr. 6. num. 5.* & Haunold *de F. & J. tr. 1. num. 63.* Resp. disparitatem inter Legem & præceptum ex fine desumendam esse. Lex fertur principaliter in bonum communitalis, quæ, uti certò territorii circumscriptur, ita non extra sed intra territorium felicitatem suam quarit. Præceptum e contra immediatè in bonum personæ privatæ injungitur, cujus interest, ubique locorum obligare posse. Vide *cap. 1. num. 65.*

162 Hæcque conclusio eatenus quoque procedit de Legibus universilibus, ut, si aliquis transeat per locum, ubi Leges universales seu communes per consuetudinem contrariam sunt abrogatæ, illas servare non teneatur, veluti concludunt Suarez de *LL. lib. 3. cap. 37. num. 3.* Castropalao *cit. l. punct. 24. §. 5. n. 1.* Lessius de *F. & J. lib. 4. cap. 2. n. 45.* Haunold *cit. tr. 1. n. 65.* Engel *ad tit. de Constit. sub n. 34.*

163 Ratio est: quia, tamen Leges universales non alligentur certo territorio, sed universum afficiunt orbem Christianum: nihilominus hòc ipsò, quòd in certo loco sint abrogatæ, adinstar privilegii localis ab observantia Legali censentur omnes abolere, quotquot in eo loco reperuntur. Pertinet huc illud D. Ambrosii, relati in *cap. illa autem 11.*

*Disp. 12. cum Romam venio, jejuniis sabbato; cum Mediolani sum, non jejuno.*

Sed an subditi tunc saltem Legibus territorii vel diocesis innotentur, quando à intentione ad territorium vel diocesim aliam egrediuntur, ut Legem declinent? Hæret in ancipiti. Reding *n. 7.* & Haunold *n. 65. cit. loc. ac novissimè Clarif. P. Schmalzgruber ad tit. de Constit. n. 41.* putant quòd non: quia, dum liberum est cuivis, è loco discedere, nemini, dum discedit & utitur jure suo, facit injuriam *l. nullus 55. ff. de R. L. Layman tract. 4. 165. cap. 11. n. 9.* Wiestner de *Constit. num. 111.* putant quòd sic: è quòd tales egressores agant in fraudem Legis; fraus autem & dolus nemini patrocinetur *cap. sedes 15. & seq. de Rescript.* Afferunt quoque aliquam Declarationem Cardinalium, quæ Annò 1627, matrimonium irritum declaravit, quando inco-læ loci, in quo Concil. Trid. in puncto matrimonii est promulgatum, idem domicilium retinentes se transferunt ad locum, ubi non est promulgatum, *salò animò, sine Parochia & testibus contrahendi.*

Cui declarationi procul dubio standum est, si in forma authentica exhibeatur: ceteroquin prior opinio videretur esse verosimilior, cum in fraudem Legis agere non rectè dicatur, qui agit secundum jus suæ libertatis.

Dico II. Qui vel physicè præsens est, vel 67 moraliter saltem, ligatur constitutionibus particularibus suæ Ecclesiæ. Reding *d. contr. num. 13.* Haunold *d. tr. 1. num. 58.* Mezger *d. disp. 35. art. 5. num. 25.* Glete *Jurisprud. fund. l. 1. r. 2. cap. 4. §. 5. num. 16.* P. König de *Constit. num. 15.* Ratio est: quia tranquillitas & felicitas communitalis obtineri nequit, nisi constitutionibus particularibus & illi constringantur, qui moraliter præsentés sunt. Si enim statutum feratur, ac, qui in diocesi hominem occiderit, excommunicationi subdatur; Petrus verò extra diocesim corpore existens, Paulum intra diocesim stantem solutò sclopetò trajicit, utilitas communis exposcit, ut talis homicida censuram Ecclesiasticam sentiat, ne finis, per statutum intentus, callidâ deperditorum hominum machinatione circumveniat. Confirmatur: 169

quia, qui ponit actionem contra Legem particularem intra fines territorii, vel saltem actionem ibidem consummat, & perficit, censetur in ipso territorio existere, & delinquere. Ergo subjacet foro & Jurisdictioni territorii. Ergo & Legibus, in bonum territorii sancitis. Confer Castropalao *d. p. 24. §. 5. à num. 14.* ubi plures illationes proponit.

Dico III. Qui in loco transitûs, tanquam viator & peregrinus, etiam per brevem existit moram, mox inde discessurus, tenetur se LL. particularibus illius loci, quæcunque demùm sint, accomodare. Hæc sententia, in quam inclinat Covarr. *Var. resol. lib. 4. cap. 20. sub num. 8.* quamve tradunt Suarez de *LL. d. lib. 3. cap. 33. n. 3.* Castropalao *d. punct. §. 3. num. 11.* Zoëf, de *Constit. n. 33.* P. König *ibid.*

sub num. 15. Schambogen eod. tit. n. 31. ac novissime Clariff. P. Henricus Hardter de LL. q. 4. art. 11. n. 9. nobis probabilior videtur; esto contraria patrocinentur numerosi DD. Reding d. q. contr. 7. n. 8. Haunold et. tract. 1. num. 88. Engel ad cit. tit. num. 31. Gletle ubi supra num. 23. P. Wiestner ad eund. tit. n. 113. Clarissimus P. Schmalzgrueber ibid. num. 42.

171 Ratio est I. Viatores gaudent privilegiis locorum, per quae transeunt; nec tenentur LL. communes, in patria quidem receptas; sed in loco transitus abolutas; observare ex num. 162. Ergo cum ferant locorum commoda, vicissim incommoda supportent, oportet, quae pari cum commodis passu procedere, suadet aequitas & aequalitas naturalis, agnita in cap. qui sentis 55. de R. L. in 6. l. secundum 10. ff. eod.

172 Neque respondeas, hanc aequalitatem aeternitatem non attendi, quando commodum & incommodum ex diversa causa descendit; sicuti contingit in praesenti, ubi commodum non supponit jurisdictionem localem, sed incommodum. Nam praeterquam, quod Jurisdictio, ex mox dicendis, hic neutiquam deficiat: paritas causa quoad commodum & incommodum relucet ex eo, quod commodum loci quis ideò sentiat, quia membrum locale, per tempore transitus, assimilatur, & ab obligatione Juris Communis eximitur: consequenter & incommodum ex eodem titulo, quod membrum locale pro tempore transitus reputetur, refugere nequeat.

174 Ratio est II. Legislatori cujuscumque loci particularis vult & potest advenas ad Leges particulares adstringere. Vult: nam, experientia Magistratù, in transgressores penam vel multam animadvertit. Potest: quia non solum cuilibet Legislatori concedenda est potestas, sui territorii felicitatem per observantiam statutorum respectu quarumlibet personarum, etiam sub negatione transitus, promovendi; sed etiam de facto plerique ex Authoribus contrariis admittunt eidem potestatem, peregrinos & advenas ad observantiam Legum peculiarium cogendi, quando vel aequè concedent advenas, ac incolas; vel quando Leges illae non minus in loco domicilii quam transitus observantur; vel quando feruntur in bonum commune, quod perinde viatores quam subditi promovere valent.

176 Si exillimes: transitum esse Juris Gentium, vel posse negari peregrinis, esto Legibus particularibus se nolint subijcere. Contra est: quia transitus potest toties negari, quoties justa negandi causa suffragatur. Est autem causa negandi perquam justa, si quis Legibus, in bonum territorii latis, parere recuset. Unde statuitur

178 Ratio III. Leges particulares, qualescumque sint, respiciunt, emolumentum & tranquillitatem territorii particularis: cum enim Lex omnis respiciat salutem illius communitatis, pro qua fertur ex cap. 1. num. 16. Lex

quoque particularis salutem illius territorii, pro quo fertur, respiciat, opus est. Ergo 179 qui sunt in territorio, etiam brevissimo tempore, Legibus particularibus insisterent vicem, earumque executione salutem territorii, quantum est in se, promovere compelluntur. Alioquin, si viderent inco- 180 lae, Leges ab advenis impudè sperni, ad quas ipsi tam severè adiguntur, scandalum sumerent, & aequali libertate Legale jugum executionerent: id, quod providè notatur in cap. illa 11. Dist. 12. & cap. consilium 2. §. item de illis. de Observant. Jeun.

Nec satis est, dicere, scandalum jam ab aliis 181 Lege, Naturali scilicet, cohiberi. Invenitò ne scandalum, Lege Naturali prohibendum eventiat, Legislatorum quibus vigilare, & occasionem scandali praescindere tenentur.

Ratio IV. incola, è territorio ad breve tem- 182 pus aliorum migrans, pro tempore absentiae definit obligari Legibus territorii ex num. 179 adeoque pro tunc non manet subditus in actu. Ergo à contrario advena, ad breve tempus in alieno territorio conversatus, incipit pro tempore praesentiae Legibus illius territorii vinculari, ac pro tunc esse subditus loci. Sicut enim absentia à loco suspendit 183 auctoritatem Legis, & obligationem subditi: ita praesentia in loco excitat potestatem Legis, & inducit obligationem subditi. Unde perpetua SS. Patrum mens & sententia est, us cujuscumque Ecclesiae, ad quam quis venerit, consuetudini se conformet cap. qua contra 2. Dist. 8. cap. illud 4. cap. illa 11. Dist. 12. cap. in nova 22. XVI. q. 17.

Solet quidem ad auctoritatem SS. Patrum 184 reponi, eam vel decisivam non esse, vel consilii tantum non necessitatis gratia in citatis textibus allegatam. At, quia SS. Pa- 185 trum doctrina hac in parte concors invenitur; neque vel S. Pontifex, vel Concilium, vel ratio contrarium evidenter convincit: magis utique SS. Patrum, quam aliorum DD. auctoritas veneranda, & eorum assertio praecipue loco respicienda videtur.

Dices I. qui territorium alienum ingredi- 186 tur, post breve tempus recessurus, non subijcitur loci jurisdictioni: neque enim delinquere, neque contrahere ibidem supponitur. Ergo deficit titulus jurisdictionis ex parte Legislatoris, & causa subjectionis ex parte viatoris.

Resp. I. argumentum retorqueri posse 187 Quando eò sine dicitantur Leges, ut speciale damnum à provincia avertant; quod aequè advenae ac incolae inferre possunt, etiam in Adversariorum opinione, tam advenae quam incolae obligantur; & tamen neque delictum, neque contractus adest, ratione cujus advenae loci jurisdictioni subdantur.

Resp. II. extra forum delicti, domicilii, & 188 contractus superesse jurisdictionem prorogatam, quae ad fundandum forum & subjectionem est sufficiens l. si se 1. ff. de Judic. & ibi Expofitores. Nam peregrini ipsò facto & ta- 189

cità voluntate jurisdictioni illius loci, in quo degunt, se submittere censentur: dum sciunt, vel scire debent, non aliter ipsis concedi transitum aut commorationem in loco, nisi ultro necè statutis & Legibus localibus se se subdiderint. Et sicut, qui transfert domicilium in alium locum, eò ipsò vult obligari Legibus loci permanentem: ita, qui alicubi vult ad breve tempus morari, eò ipsò vult, aut velle debet subditi pro tunc regimini illius loci quoad ea, quae ad mores & observantias locales pertinent.

Dices II. in dubio benignior est pars amplectenda. Sed dubium est, velitne Legislator localia statuta ad peregrinos extendere, an non? Ergo pars benignior, quae extensionem negat, est amplectenda.

190 Resp. in nostra sententia dubium non esse, utrum Legislator sub obligatione Legis peregrinos velic comprehendere: cum enim & bonum commune intendat promovere, idque per extraneos non minus quam cives promoveatur; & simul extraneos, Legis violatores, vindicta subijcitur: voluntas obligandi peregrinos nimium elucet.

192 Dices III. in cap. à nobis 21. de Sentent. excommunicatis. decidit Pontifex, excommunicationem latam in omnes, qui furtum commiserint, extendi ad illos solos, qui sunt de jurisdictione excommunicantis. Cujus decisionis alia non erat ratio, nisi quod extranei non obligentur statutis particularibus.

193 Resp. I. plerisque Interpretes cum Panormitano cap. à nobis explicare de excommunicatione latam non per modum statuti, sed praecipue. Notum verò est, praecipue afficere personas, statutum autem respicere territorium, & personas, in illo existentes: adeoque praecipue obligari solos subditos, statutò omnes, qui existunt in territorio. Suarez d. l. num. 12.

194 Resp. II. si cap. à nobis ita exponere placeat, ut sententia excommunicationis per statutum lata fuisse dicatur, tunc vel affirmari posse cum Caltrapalao ubi supra n. 15. quod etiam advenas comprehendat, si furtum in territo-

rio commiserint, secus, si extra territorium: quia, licet perpetui & permanentes subditi non sint, sunt tamen transitori; vel negari cum Barbosa in collectan ad d. c. n. 4. quod paritas sit inter statutum censurae, & statutum aliud: dum illud antecedentem & stabilem subjectionem desiderat; hoc transitoria contentum est.

Dico IV. Qui in territorio Ecclesiae praeci- 195 pientis existunt, sed exemptionem habent, obligantur particularibus Legibus solum indirectè. Ratio est: quia tales, licet in territorio commorentur, non tamen sunt in territorio. Et consequenter Legibus territorii, de quo non sunt, directè nequeunt obligari. Quia tamen aequum est, ut communicati, 196 quae est de territorio, personae exemptae in operando se conforment, ne infirmi & rudes scandalum aut finitrum opinionem concipiant, hinc occasione Legis & indirectè obligantur. Suarez de LL. lib. 4. cap. 20. n. 6. Reding d. art. 3. in coroll. Stadlmayer cap. 4. th. 6. Palao d. punct. 24. §. 6. num. 11. Pettichacher d. q. 4. n. 11. §. 4. corollar. 2. König cit. l. n. 16.

Exciipiuntur I. censurae & interdictiones, 197 si à locorum Ordinariis promulgentur, à quibuscumque exemptis in eorum Ecclesiis publicanda & servanda suant. Trid. Concil. sess. 25. de Regular. cap. 12. II. dies festivi, quos 198 servandos in sua dioecesi Episcopus praecipere: hos enim omnes exempti, etiam Regulares, servare tenentur. Trid. cit. l. Barbosa de Off. & pot. Episc. alleg. 105. n. 12. & seq.

Dico V. Vagabundi, sive qui nullibi fixum 199 habent domicilium, Legibus quarumcumque dioecesium, per quas transeunt, obligantur. Reding d. art. 3. contr. 7. n. 18. Pettichacher cit. l. §. 3. Palao d. p. §. 4. Ratio est: quia vagabundi non magis exempti sunt, quam peregrini. Ergo cum isti Legibus localibus teneantur, illi longè magis tenebuntur: partim 200 quia alias Leges periculosae, juxta quarum amissim operationes suas instituant, non habent: partim quia omnium locorum, per quae transeunt, subditi censentur; ibique conveniri possunt, ubi inveniuntur.

SECTIO IV. De Effectu Juris Canonici.

SUMMARIUM

201. Leges Ecclesiasticae obligant in conscientia, 202. & seq. Sed primum elapsi jam bimestri; si universales sint. 208. & seq. Aliud est de particularibus. 210. & seq. Non requirunt acceptationem populi. 215. & seq. Adversariorum subterfugia pracluduntur. 221. & seq. Obstacles remouentur. 230. & seq. Diversitas ignorantia. 232. Vincibilis non excusatur à culpa vel pena. 233. Habet tamen suos gradus. 234. Invincibilis potest versari circa varias Leges. 235. Excusatur à culpa in Lege praecipua. 236. & seq. Item à pena spiritua-

li; non autem temporalis. 243. & seq. Non excusatur à nullitate in Lege annullante. 250. Nisi irritatio fuerit in panam statuta. 251. Leges Ecclesiasticae possunt mutari. 252. & seq. Ab ipsa Legislatore, successore, vel superiore. 257. Abrogatio vel derogatio Legis indiget nova promulgatione. 158. & seq. Per Legem generalem non abrogatur anterior specialis. 261. & seq. Legislator, successor, aut superior in Lege dispensant valide sine causa. 265. Inferior in lege superioris absque causa valide dispensare nonquit.